24289 N. 19 Lane Medical Library

# DE PARTIBUS OSSIUM EXCIDENDIS.

DISSERTATIO
*INAUGURALIS MEDICA,*
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ADOLPHUS AEM. GUIL. MUHR.
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:
LEOP. SCHMIDT, DR. MED. ET CHIR.
GUIL. BAUM, DR. MED. ET CHIR.
HILDEBRANDT, MED. CAND.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40152009_0230

# Prooemium.

Cum iam ante aliquod tempus variis ossa excidendi methodis et describendis et inter se comparandis operam dedissem, in alium finem, quam ut inde dissertationis inauguralis argumentum quaererem, commentariolum concinnavi; multa autem impedimenta de nova perficienda dissertatione, quam libenter conscripsissem me retinuisse, meque soli officio satis fecisse, hoc velim omnes scire. Id tandem abs te,

B. L., petitum impetratumque volo, ut omnia et ea maxime, quae emendatione aliqua egent, aequi et boni consulas. Vale.

## De partibus ossium excidendis generatim.

Sunt vāria ossium vitia, quae nec tolli nec removeri possunt, nisi partes, quas infestant, excidantur. Imo id fieri haud raro debet, si haec vitia, ab reconditis causis orta, singulari ossis loco insidant, et victis tandem causis revivisscere os vitiatum nequit.

Attamen negari non potest, saepe difficile id peragi opus, et raro ferramenta satis apta fuisse ad excidendam alicuius ossis particulam, certis limitibus citcumscriptam, qua propter a remediis periculosioribus auxilia quondam medici petierunt, e. g. a circumcisione totius membri. Illae enim in singulis corporis sedibus corruptiones saeviunt tanta vehementia, ut non solum naturae conaminibus, sed et arti auxilianti resistant, vitaequae periculum afferant.

Omnium medicaminum et instrumentorum, quibus ab intiquissimis inde temporibus medici vitiata ossa ab integris separare consueverant, duplex est genus: alterum quod vi mechaenica agit, alterum quod insita vi irritat, corrodit, destruit. De iis quae dynamica vocantur, quorum ope natura actuosior reddi putatur, ut ipsa exfoliationem perficiat, hoc loco dicere meum non esse putavi. Sicuti praetermittenda etiam ea sunt, quae legibus chemicis obtemperant, obiter tamen commemorandum est, in his adhibendis magis vim aestimari per quam vigent, propterea quod intelligitur ex usu, quid valeat inanimata chemia in corpus animatum, ac secundum quas illius leges efficax sit; quam ob rem ex toto genere medicamentorum, quae vel corrudunt, vel destruunt, nullum ad substantiam osseam resolvendam efficacius et commendabilius est acido muriatico diluto, quod cuivis chirurgo in promptu semper esse debet.

## De vario instrumentorum apparatu generatim.

Instrumenta omnia, quae ad excidendas ossium particulas requiruntur, vel ad serras, vel ad

forfices, vel ad scalpra referri possunt. — Indubitatum autem est, ad perficiendum opus aptissimum instrumentum esse serram; cetera instrumentorum genera, propter ossium duritiem, facile inter ipsum usum percussionis fragmentorumque metum inducunt, ideoque omnino reiicienda sunt.

Serra communis forma convenit, ubi liberior motus conceditur; impedita motio in causa erat, cur aliter haec a multis figurata est, quamquam eius mutata forma motum liberiorem non semper efficit. — Optima serrae variatae forma apud veteres est illa, quam sub terebrarum genere excogitaverunt. Quam maxime idoneum hoc genus instrumentorum sane est, non tamen in omnibus casibus, quibus haec instrumenta accomodari oportet, affabre potest adhiberi. Solummodo in usu esse potest ad dissecanda ossa lata, quod tum optime perficitur, si ossis particula removenda modioli corrona potest comprehendi, aut si cavitas ossis terebrando aperiendum est, ut in ipsa calvariae trepanatione saepe fit, quae extravasata, vel alia corpora removendi causa instituitur. Sin autem in longitudinem os fissum, huiusve fragmentum longius est, quam communis modioli diametros, vel in promptu esse debet

modiolum maioris diametri, vel iteralis vicibus terebrando aperiri os, quo fit ut magni integri ossis particulae simul exsecentur. —

Serra versatilis vix hoc nomine digna est, cum opinato fini haud satisfaciat.

Scultetus instrumentum excogitavit ad resecanda interstitia ossea duorum vel plurium foraminum, modioli ope factorum. Constat ex serrula unum pollicem longa, insidente lamellae superius dentatae, quae antrorsum et retrorsum, ope rotulae dentatae, moveri potest; hac rotula adhaeret manubrii stylo. Clarius instrumenti structura ex figura 5ta elucebit. Conferas Sculteti armamentarium chirurgicum, Ulmae Svevorum 1655.

Anno 1798 Savigny instrumentum quoddam invenit serratum ad partem tibiae excidendum, quod deforme, valde compositum et inutile esse videtur; conferas eiusdem opus splendidissimis figuris ornatum: „J. H. Savigny a Collection of Engravnings representing Instruments used in the Praectice of Surgery. s. l. 1798. Hoc instrumentum delineavi secundum scalam geometricam, fig. 2da.

Quidquid generis humani ingenium aut invenit

aut emendavit, non ab initio semper recte aestimatur; similiter res se habet in medicina et chirurgia, quod earum historia testatur. —

Quaecunque chirurgiae supellex nova, est ob id ipsum magis reiicitur, qua si tueri velimus omnia iam excogitata instrumenta, machinas et apparatus, quorum maxima pars iam e memoria elapsa foret, si non reservarentur in armamentariis chirurgicis, nec enchiridia rei chirurgicae ea ob oblivione vindicarent, ut intelligi possit, quomodo a primio initiis ipsa ars sensim sensimque exculta sit.

Nequaquam vero id animum nostrum deducere debet ab arte corrigenda; etenim simplicius erit opus, si rite applicantur idonea instrumenta, difficiliusve redditur, ubi ex magno instrumentorum metu, neglecta est suppellex.

Quomodo et quanta sit huius paulo infra describendi instrumenti utilitas, eiusque praestantia, clarius elucebit ex allegatis observationibus. —

Iam inde ab anno 1816 Ill. Graefe serram orbicularem a se inventam ad ossium fragmenta omnis generis excidenda in usu habuit, quam Schwalbius in dissertatione sua inaugurali, anno 1819 obiter tantum descripsit. Incognitum autam

fuisse huius dissertationis auctori peculiarem instrumenti usum, facile intelligitur ex adiecto serrae fulcimento, sive apparatu ad serram sustentandam. A. W. Hedenus in commentatione chirurgica de femore in cavitate condyloidea amputando Lipsiae 1823. repetiit ex dissertatione Schwalbii effigiem et descriptionem serrae orbicularis Graefii, ideoque eundem errorem commisit. — Ceterum huius serrae praestantiam per plures discipuli experti sunt, qui medicinam in diversis Regni Borussiae regionibus faciunt; in reliquis autem Germaniae partibus per paucis cognita esse videtur haec serra, sic, ut ego in itinere versatus praeterlapsa aestate apud peritissimum quendam chirurgum audiverim, Graefii serram immitationem tantum referre serrae ab Hay inventae omnibusque notae, quacum neutiquam comparari potest. Eam ob causam operae pretium fore putavi, si novam illius descriptionem memoriae mandaverim.

Priusquam autem hanc descriptionem perficiam, aliorum recentiorum auctorum instrumenta ad hunc finem excogitata describere mihi liceat. —

Hay serram invenit a veterum serra versatili parum diversam, quae omnibus cognita est. Hu-

ius effigiem propter angustum tabulae spatium omisi.

Serra catenae formis Ieffrayi cuius descriptio et effigies iam exstat in: Iour. für Chirurgie und Augenheilkunde von Graefe und v. Walther 1822 Ed. 3. p. 166. tantum adhiberi potest, si circum circa os duci queat, facile frangitur facileque in ossibus relinqui potest magnique pretii est. —

Liston in: Edingb. medical and surgical Iour. Ian. 1821. novam methotum demonstravit singulas partes vitiatorum ossium metacarpi et metatarsi removendi. Effigiem instrumenti non recepi, cum vero sit forceps secans, e prioribus intelligi potest, ut opinior, hoc instrumentum utile esse non posse; id etiam testantur funestra experimenta, quae ab ipso eius inventore instituta sunt.

Thal, Haffniensis, prius in usu habuit apte mutatam serram versatilem, in eius dorso planum quoddam est, cui digitus imponitur, ut serra strenue imprimi possit; vide fig. 3tia. Hoc tempore autem alio instrumento usus est, quod fig. 4tia delineari curavi. Ex hac icone facilius intelligi potest, hoc constare ex serula convexa

stylo insidente, qui manubrii ope versatur et ansae ope stylum circumdantis inprimi potest. Fig. 4to est lamina serrata.

Griffith proposuit serram orbicularem, quam fig. 7ma a, exhibet. Cum hoc instrumentum manubrio antrorsum et retrorsum possit moveri, unum solummodo segmentum incidit, itaque ne totus quidem discus agit. Ansa dichotoma supra discum affixa, fig. 7ma d, ut illa ossi incidendi renitatur, apta esse videtur. Quomodo strenue discus immittatur ex fig. 7ma c. et 7ma b intelligitur.

Tandem benevolentiae Cl. Wagneri notitiam instrumenti cuiusdam debeo, quod in itinere versatus nuperrimi vidit Londini, cuius effigiem fig. 6ta sistit. Auctor huius instrumenti Machell est. Inter laminas externas latent quinque inter se proxime adiacentes seque invicem exhibentes rotae dentatae; sic, ut omnes circumferantur, si prima manubrii ductori ope movetur. Hoc manubrium axi ex lamina prominenti primae rotulae imponitur. Ultima ex laminis rotula eminens excentrica, sic dicta, est serrula ipsa. Axis rotulae secundae, itidem e laminis prominens, est cochlea infinita (Schraube ohne Ende), quae tra-

ham comprehendit; in ipsa traha, quam cochleae ope extendere licet, affixa est vulsella, quo magis immittitur serra in os dissecandum, eo fortius adtrahatur traha, quo fit, ut dilatentur partes molles; et ipsa ossis pars incisa extrahatur. — Serius tamen idem instrumentum exstat delineatum in supra significata Comment. Hedenii, sed maxime deforme.

## De serra orbicularis Graefiana speciatim.

Lamina serrae vulgaris in hoc instrumento est discus dentatus, cuius media pars cochleae ope coheret cum altero fine perticae ferreae, 18 pollicum longitudine; eiusdem perticae finis alter rotam dentatam habet, quam alia rota, insidens manubrio ductorio movendo, ipse circa axem suam discus rotatur. Hinc motus serrae vulgaris progrediens et regrediens convertitur in rotationem. Totam perticam ferrream cum rotis comprehendit tubus conicus aurichalceus, cuius extremam partem latam, in qua resident rotae, operculum claudit, ex quo eminet manubrium ductorium. Geometrica instrumenti effigies in longitudinem dissecti ita delineata est, ut fig. 1. b. to-

tius instrumenti dimidiam magnitudinem referat. Conferas fig. 1. b.

a discus,

b. b. tubus aurichalceus,

c. c. pertica,

d. perticae rota,

e. manubrii ducterii rota,

f. manubrium ductorium,

g. lamina ferrea in ipso tubo, per quam pertica et axis illius rotula, quae ad manubrium ductorium pertinet, transeunt.

h. h. h. h. operculum quod a quatuor parvis cochleis tenetur.

i. cochlea quae discum ad perticam affigit.

---

Fig. 1. c. Rotarum propria magnitudo.

a. manubrii ductorii rota.

b. perticae rota.

---

Cuique mirum videri potest, rotam parvam manubrio ductorio adhaerere, maiorem vero perticae. Huius instrumenti, quod describo, altera rota 21 dentes, altera 7 habet. Manubrium ductorium igitur ter circumagi debet, ut una rotatio disci fiat. Ill. Graefe quondam usus est hoc instrumento, in quo vice versa composita erant,

rotae, sic, ut una rotatio manubrii ductorii ter circumageret discum; cum vero propter motum disci celerem instrumentum strenue agere non possit, dificilius igitur adhiberi queat, illam constructionem, cuius superius mentionem feci, excogitavit, quam maiorem utilitatem praebere affirmat. —

Attamen vero constructio, qua rota ita collocantur, ut celerius moveatur discus quam manubrium ductorium, praeferenda mihi videtur, si scilicet socius, qui circumagit manubrium, bene exercitatus est; debet enim discus incidere magis per motum suum celerum, quam per pressionem et diutius evitatur motus serrae tremulus.

Summa cum diligentia fabricandus est discus ex optimo chalybde et bene durandus, nec tamen fragilis esse debet. Dentes vix unius lineae longitudine, et in ordinem, ut dicunt, quincuncem dispositi sunt, (gesperrt, aufgesetzt) ne lamina serrae comprimatur. Diametros disci esse solet $1\frac{3}{4}$ poll. longitudine, quamquam nonnulli disci variae diametri in promptu esse debent, ut cuique fine respondeatur. Ipsi compressa ovalis tubi forma idonea est ad serram firmius tenendum.

## De serrae orbicularis encheirese.

Quamquam quisque, qui huius instrumenti ope in cadaveribus ossium excisiones imitetur, facile methodum percipere potest, qua optima aplicandum hoc instrumentum, supervacaneum tamen non esse putavi nonnulla monita et praecepta allegare. Ex fig. 1 a. clarius elucebit, quomodo instrumentum dextra manu, b. superpositis inferiori parti tenui digitis, prehendi possit, ut discus dirigatur. Sinistra tamen manus, a, subpositis crassiori parti digitis, prehendit instrumentum, sic, ut axis manubrii ductorii ad mediam manum spectet, quo fit, ut bene hoc sustentetur et intermiscens rotatio evitetur. Si is, qui opus suscipere vult, dextrum cubitum, aut utrumque robusto corpori insistit, aut firmiter corpori apprimit, strenua stabilique manu aget. Socius tamen, qui manubrium ductorium circumagit, aequabiliter id facere debet, ne, si manubrium sursum vel deorsum tendit, intremiscat. Exacte tales rotationes perficere potest, si tubum tribus digitis alterius manus prehenderit, ita tamen, ne quem, impediat.

Hoc instrumento incidi non possunt lineae curvae, itaque quaecunque ossis pars laesa exquisite exsecatur, si triangulum efformas, cuius anguli ratione partis laesae, vel acutiores, vel obtusiores fiunt. Sensim igitur aequabiliter discus intret necesse est, perrepens lineas dissecandas. —

Cum incidens serra rotatili disci motu dissecet, particulas ossis lati et rotundi, imo et altius reconditas, propter tenuitatem disci, inter partes molles, exsecare possumus; itaque omnibus hoc instrumentum apprimi satisfacit. —

In allegatis morborum historiis serrae orbicularis praestantiam ipse observavi, atque vel socius, vel discipulus post annum 1818 interfui, quandocunque Ill. Graefe opus quoddam huius instrumenti ope perficiebat. Primum iam anno 1816, in variis nosocomiis Rhenanis hoc instrumento usus est, ut iam antea commemoravi.

## Historiae morborum.

### Prima morbi historia.

In bellis anno 1813 gestis G. Bourwig, 22 annorum, vulnere affectus est a sclopetaria glande, quae tibiam eius dilacerabat. Praeterlapsis

quinque ab hinc annis, cum in nonnullis nosocomiis frustra sanitatem petiisset recuperare, nondum sanatus se contulit anno 1818 in institutum clinicum. Totum inferius crus vehementius tumebat et inveteratae fistulae alte penetrabant, ex quibus sanies manabat.

Quamquam eam ob causam, aegrotus profitebatur se in institutum clinicum contulisse, ut crus possit amputari; nihil ominus tamen propter aliquam opinabilem dyscrasiam, multa remedia extrinsecus admovenda et intus sumenda denuo tentarunt, quorum praestantissimam vim in tali morbi profligando medici laudarunt. Tandem dissectis fistulis adhibitisque ad restaurandas aegroti vires medicaminibus, infrictiones mercuriales frustra in usum vocatae sunt, quamquam haud raro magnam eas utilitatem attulisse, nonnuli sunt qui affirment. — Cum vero diligentiori inquisitione membrum examinaretur, longum ossis fragmentum ab omni parte sani ossis separatum illico in conspectum prodiit, tumefactae tibiae insidens, sed circum circa locum affectum iam ortus fuerat callus, ita ut nullo modo removeri possit fragmentum.

His omnibus diligenter perspectis Ill. Graefe,

in gravissimorum virorum Illustr. Rudolphi et Boer atque multorum discipulorum conspectu, fragmentum illud serra orbiculari praecidit, ut integra pars posset servari. — In longitudinem autem tantum excisum est e superiori tibiae parte, quantum sufficiebat, ut denudatum ossis fragmentum, 6 pollicum longitudine, sensim extrahi ope forcipis posset. Excisa pars erat collisae tibiae massa ossea, ex morbi diuturnitate orta supra modum durata. — Praeterlapsis duobus mensibus, nonnulla carie exesa ossis fragmenta denuo serra orbiculari praecedit, quae alte vulneri insidebant, quo facto, cum instituisset circumspecte curam secundariam, ad perfectam cicatricem ita perductum est vulnus post aliquot menses, ut aegrotus ad thermas Teplicenses possit proficisci, ubi recuperaret pristinam sanitatem. —

## Secunda morbi historia.

C. W. Rennebohm, miles, ex proelio. Wavrensi, vulnere cruris dextri affectus excessit. Vulneris a sclopetaria glande facti curationi multi medici operam dederant, sic ut intra triam annorum spatium nonnullu ossis fragmenta extraherentur. Ex ipsa tibia ichoris larga copia proma-

nabat, totumque crus inferius foedi coloris erat.

Permittere aegrotus nolebat, ut resecaretur totum hoc vitiatum membrum. Est quidem post longum tempus coalitum vulnus, dolores autem pertinaciores dein lacessebant tibiam pedisque articulum tumefactum et rigidum.

His malis obrutus aegrotus anno 1819 in institutum clinicum se contulit eo consilio, ut cuicunque curationi se subiicere vellet, dummodo membri amputatio possit evitari. Ideoque, serrae orbicularis ope, excisa est triangularis et degenerata pars tibiae, cuius basin interior tibiae margo efformavit, exterior apicem. Remanebat integra et tenuis pars tibiae infra excisam posita, cuius vis reproductiva tanta erat, ut intra duos menses iam exigeret novam substantiam osseam et pedetentim aegrotus movere digitos pedis posset, tandem vero pedem ex toto sanatum recuperaret. —

## Tertia morbi historia.

Carolina Fischer Rostochiensis, duodeviginti annorum, per annum iam laboraverat amaurosi et convulsionibus epilepticis, qua de causa anno 1819 in institutum clinicum se contulit. Ex eius peculiari vultu facile intellligi potuit, omnia eam

aequo animo ferre. Interrogata aegrota obiter aliquoties mentionem faciebat largi capitis exanthematis, quod ante morbum adfuerit, ac subito retropulsum, ulcusculum reliquerit, id quoque ex aliquo tempore sanatum erat.

Exacta capitis inspectione facta, in medio osse bregmatis dextro exiguum quoddam tuberculum detectum est, cuius apex incrustatus erat, remota crusta, una tantummodo guttula limpidi humoris exsiliebat. Specillo immisso os scabrum esse et in illo foramen, facile cognosci potuit. —

His omnibus praevisis, ex aliqua vi mechanica pressum esse encephalum, inde haud procul dubio hos affectus nervosos ortos esse, nemo ignorabat. Sunt autem accusata capitis ossa corrupta, quorum resolutione intrinsecus facta cerebrum fortasse iniuriam passum erat. Itaque necesse esse putabatur, id, quod vitiatum erat, tolli, ut liberius resoluta ossis corrupti pars eximi posset. Quem in finem trepanatio indicata esse videbatur.

Cum vero os nudatum esset, ostendebant et forma, et ambitus loci affecti, huic commode aptari trepanum non posse, nec aptam esse serra orbicularis. Facile excisa est calvariae pars, os

corruptum exacte comprehendens. Remoto ossis fragmento larga aquoisi laticis copia effluebat, quem subsequebatur cerebri portio aliqua, ideoque ad cerebrum in sedibus suis retinendum, locus per quem transierat, commode deligatus est.

Dum in dies maior aquae copia e cerebro effluebat, ita ut postremo die totus aegrotae lectulus madidus esset, tandem mortua est die decimo post factam excisionem.

Cadaveris Sectio docuit, partes illas, quibus ventriculi cerebri conficiuntur, valde tenues esse repletosque multo aquae ventriculos et medullam spinalem, moliusque encephalum ipsum visum est.

## Quarta morbi historia.

Joachimus Krause, miles, triginta annorum, vulnere sclopetario in dorso pedis sinistri anno 1815 affectus est. Vulnus haud alte penetrare putabatur, facileque tunc recrudescere coepit, et per octodecim menses iam apertum erat vulnus, cum aegrotus se in institutum clinicum conferret. Neque aliquantulum pedem movere, nec pede insistere poterat. Specillo immisso os metatarsi primum, tunc fortasse valde vulneratum,

usque ad mediam partem tumefactum et carie corruptum apparebat.

Aegrotus bona constitutione praeditus et sola locali affectione laborans, corrupti ossis excisioni se submisit. Incisa cute ad utrumque corrupti ossis latus, sic, ut circumcideretur depravata cutis, immissa est habenula angusta inter partes osseas et molles, ne hae lederentur; tandem incisum est sanum os serrae orbicularis ope. Is qui opus perficiebat, cubitum dextrum institit sellae, in qua pes aegroti retinebatur, ut serrae discus dentatus stabilis nec intremiscens immitti posset et tubus erectus firmiter teneri. Pauxillum sanguinis ex degenerato parenchymate profluxit, dein duabus arteriis filo exceptis, boletus ignarius vulneri impositus est, qui sanguinem erumpentem ex toto prohibuit. Die secundo post factam excisionem novum sanguinis et vehemens quidem profluvium ortum est, quod post factam compressionem desiit. Decimo die iterum sanguis profluvit, hoc coercito post duos menses ex toto sanatus evasit, nec ullum incommodum liberiorem pedis motum prohibuit. —

## Quinta morbi historia.

Frederico Koch, tredecim annorum, die 2do m Augusti h. a. ex altissimo loci delapse fractus est humerus, ita, ut extrema pars huius ossis superior, longitudine trium pollicum proxime sub condylo partes molles penetraret, et iisdem partibus arcte circumdaretur. Cum autem fractum os simul et diffissum, partesque molles maxime tumefactae essent, illud haud reponi posse apparuit. Excidenda itaque erat depravata ossis pars, eamque ob causam vulnus dilatatum est unius pollicis longitudine, dein immissa habena angusta, excisio, ope serrae orbicularis, facile et celeriter peracta est.

Brachium peculiaribus ferulis, quas Ill. Graefe ad eundem finem invenit, exceptum est et simpliciter deligabatur. —

Post sex haebdomades resolutus est ab integro margo osseus superficiei excisae; octava haebdomade ab integro resoluta est magna condyli pars per exfoliationem, sed deinde curatio celeriter feliciterque perfecta, et inter quinque menses perfecte sanatus est.

Brachium, aliquantulum brevius altero, nunquam in motu aliquo incommodo premitur.

---

Magnum ego laboris mei fructum tulisse mihi videbor, si ex hac instrumentorum comparatione, eorumque delineatione aliquid utilitatis redundaverit. —

---

# Tabulae aeneae explicatio.

Fig. 1. a, 1. b, et 1. c, Serra orbicularis Graefiana. vide p. 14 et 16.

— 2. Savignyi instrumentum vide p. 8.

— 3. Thalii serra versatilis vide p. 11.

— 4. a. et 4 b. Thalii nova serra cum ansa vide p. 11.

— 5. Sculteti serula versatilis, vide p. 8. et conferas armamentario chirurg. Sculteti. Ulmae Svevorum 1655. p. 4.

— 6. Machelli Serra, vide p. 21.

— 7. a. b. c. et d. Griffithii serra orbicularis, vide pag. 12.

# CURRICULUM VITAE

## EX DECRETO

## GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

## BEROLINENSIS

## ADIECTUM.

Ego, Adolphus Aemilius Guilielmus Muhr, natus sum Berolini die XXII m. septembris, a 1788. Pio animo veneror parentes optimos, patrem meum, Simonem Iosephum mercatorem, et matrem e stirpe Iacobiana. Parentum consilium factum est, ut a prima pueritia ad aetatis meae annum tricesimum usque domesticis praeceptoribus demandarer. Deinde autem Hafniam profectus sum, ubi avunculus meus Iacobi, medicus apud Hafnienses, paterna benevolentia tanquam filium me in domum suam recepit; sermonibus eius adlectus rem pharmaceuticam potissimum delegi, in qua omne studium meum collocarem, ideoque Manthey, Professori rei pharmaceuticae in disci-

plinam traditus sum. Huius doctrinae praeceptis imbutus, Berolinum redux, me totum conferre volui ad medicae doctrinae magistros, quam ob causam P. P. Walter et Knape praelectionibus anatomicis interfui. — Propter exiguas res familiares denuo Hafniam profectus pharmacopolae munere ibi functus sum. Examine superato, apud Oertaedtum, laude mea maiorem, amanuensis officia peregi, ita ut in dies proficerem in chemiae et physicae doctrinis et dein mihi munus, quod dicunt, lectoris chemiae et physicae, docendae mandaretur.

Dum gerebantur a 1815 bella sacra pro Rege et Patria, illorum particeps fui et munus pharmaceutici primarii in militum nosocomiis Aquigranensibus mihi traditum est ab Ill. Graefe. Tandem redux Berolinum, benevolentia atque amicitia Ill Koreff, qui et opibus me adiuvavit, mihi contigit, ut denue medicinae studia inchoare possim. In album civium academicorum die XX m. Martii a. 1817 relatus sum a Ill. Link t. t. fasces academicas tenente, et ab Ill. Hufeland t. t. Decano. Praelectionibus omnibus Illustr. Berends, Horn, Hufeland, Koreff, Link, Richter, Rosenthal, Rudolphi, Rust, de Siebold, Wolfart

assidue interfui: postea autem et auscultando, et ipsam artem ad aegrotorum lectulos exercendo per plures annos in institutis clinicis Ill Berends, Graefe, Horn, Hufeland, Rust et de Siebold versatus sum.

Anno 1822 Goettingam migravi, ubi Ill. Himly et Langenbeck lectionibus interfui eorumque instituta clinica frequentavi. —

Tentamine die V Novembris et examine rigoroso d. XXI eiusdem m. coram gratioso medicorum ordine rite superatis, post dissertationem hanc palam defensam spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores a Decano spectabili in me conferantur.

# THESES DEFENDENDAE.

I.


Putredo in corporibus viventibus non solum existere, sed etiam vehementior quam in mortuis, esse potest.

II.


A morte actiones chemicae in corporibus organicis incipiunt.

III.

Morbus, vulgo „Radesyge“ dictus, nec ad syphilidem, nec ad lepram, nec ad scorbutum aliumve morbum, sed ad malum scrophulosum referendus est.




A. Muhr, del.




L. J. Haas.